

COMMENTATIONES
SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARVM
GOTTINGENSIS
AD A. cIcIcccIV. — VIII.

VOLVMEN XVI.



CVM FIGVRIS.

GOTTINGAE
APVD HENRICVM DIETERICH.
cIcIcccVIII.

I N D E X
C O M M E N T A T I O N V M
V O L V M I N I S D E C I M I S E X T I .

Praefatio Chr. G. Heyne — — — p. I — XXXII.

Commentationes physicae

annorum cl̄ccciiii — viii. vsque ad Aprilem.

Aug. Gottl. Richter de phthisi pulmonali operatione chirurgica sa-	p. 3
Henr. Aug. Wrisberg de neruis viscerum abdominalium Part. III. — de corde testudinis marinae Mydas dictae (tabb. p. 74. memoriae ab auctore, dum superficies erat, operis librariis non sunt traditae).	15
Frid. Benj. Osiander vera cerebri humani circa basin incisi imago, cum oss. de cerebro et medulla spinali, nouaque nerois ac plantarum vasa hydrargyro implendi methodo.	48
Car. Himly de perforatione membranae tympani.	77
Henr. Adolph. Schrader genera nonnulla plantarum emendata et observationibus illustrata.	107
Frid. Stromeyer de gas hydrogenii arsenicati natura atque indole.	125
Io. Frid. Blumenbach Specimer historiae naturalis antiquae artis operibus illustratae eaque vicissim illustrantis.	141
Decas quinta Collectionis suae craniorum diuersarum gentium illustrata.	119
	199 - 216

Memoria Io. Frid. Gmelin — in consensu Soc. d. ix. Martii 1805. commendata interprete C. G. Heyne. — — — I - VIII

Commentationes mathematicae.

Io. Tob. Mayer de halonibus siue coronis.	p. 3
— de adfinitate chemica corporum caelestium Disquisitiones meteorologicae. Fascic. I.	31
Car. Frid. Gauss theorematis arithmeticci demonstratio noua.	69

Commentationes historicae et philologicae.

Ant. Isaac. Sylvestre de Sacy de notione vocum Tenzil et Tawil in libris qui ad Druzorum religionem pertinent.	p. 3
e	Chr.

Chr. G. Heyne de Babyloniorum instituto religioso, vt mulieres ad Veneris templum prostarent, ad Herodot. I, 199.	p. 30
Tho. Chr. Tychsen de Afganorum origine et historia.	43
C. Meiners historia munera Cancellariorum academicorum in vniuersitatibus Gallicis et Italicis. Commentatio I.	65
Chr. G. Heyne de Sacerdotio Comanensi, omninoque de religionum cis et trans Taurum consensione.	101
Tho. Chr. Tychsen de commerciis et nauigationibus Hebraeorum ante exilium Babylonicum.	150
C. Meiners historia munera Cancellariorum in vniuersitatibus Germanicis et Britannitis. Commentatio II.	180
— dubia quaedam vel obscura loca in mysteriorum, in primis Eleusiniorum, historia illustrata.	204
A. H. L. Heeren explicatio planiglobii orbis terrarum faciem exhibentis ante medium saeculum XV. Musei Borgiani Velitris; simul de historia mapparum geographicarum recte instituenda consilia.	250
Chr. G. Heyne Sermonis mythici seu symbolici interpretatio ad caussas et rationes ductasque inde regulas reuocata.	285 - 323
* * *	
Chr. G. Heyne Alloquiorum in Confessibus Societatis follennibus anniversariis M. Novembris habitorum Fragmenta.	324
— anni cccccc.	326
ccccccii.	331
cccccciii.	334
cccccciv.	336
ccccccv.	337
ccccccvi.	340 - 344

*Tabulae aeri incisae Vol. XVI.**Ad Commentationes physicas.*

F. B. Ofiander vera cerebri humani circa basin incisi imago.	Tab. a. p. 77
	Tab. b. p. 105
H. A. Schrader genera nonnulla plantarum emendata.	Tab. I - V. p. 125 - 140
Io. Frid. Blumenbach specimen hist. nat. operibus artis antiquae illustratae.	Tab. I. p. 171
Eiusdem Decas quinta craniorum	Tab. II. p. 181
	p. 201

Ad Commentationes mathematicas.

I. T. Mayer de halonibus.	—	p. 14
Eiusd. de adsinitate corporum caelestium.	—	p. 44

— SWP —

JO. FRID. BLVMENBACHII
SPECIMEN
HISTORIAE NATVRALIS
ANTIQVAE ARTIS OPERIBVS ILLVSTRATAE
EAQVE VICISSIM ILLVSTRANTIS

RECITATVM

IN SOLEMNI CONSESSV ANNIVERSARIO SOC. REG. SCIENT.

D. XIX. NOV. MDCCCIII.

Quanquam omnes artes quae ad humanitatem pertinent, pri-
dem monente M. Tullio, quoddam commune vinculum
habeant, et quasi cognatione quadam inter se contineantur, ipsa
tamen earum diuersa indoles et natura docet, variam eatenus
ipsas intercedere relationem quam inuicem seruant, vt aliae earum
aliis siue arctiore siue multimodo nexu praestent quo cum ceteris
cohaerent iisdemque adiuuandis, et illustrandis inseruiunt. In horum
autem numero et historiam naturalem praeclarum tenere locum, nem-
inem infitias iturum speramus vel infinita adiumenta reputantem quae
ipsa ea disciplina tot aliis subministrat, vt maxime vniuersalem eius
ad omnes fere ac singulas imo vero in vita communi vtilitatem
taceam, qua quidem optima magistra magnae artis accurate videndi,
seu consuetudinis oculorum vt Ciceroni audit, censenda est.

At enim vero ipsum hoc historiae naturalis studium, nisi id
vnice ad arctos et indignos limites copias suas vnice nude et
ieiune describendi et in indices systematicos redigendi, cogere
velis, itidem et aliis iisque diuersissimis disciplinis mirum quantum
lucrari et in sui incrementa et ornatum vertere potest.

Comment. Phys. T. XVI.

Y

Et

Et in his quidem archaeologicum quod vocant studium, artis antiquae quae supersunt monumentorum, non infimum seruare gradum vel Plinii exemplo edoctus, qui naturali historiae eam plasticae et graphicae artis peropportune iunxit, toties in istius indagine cum fructu expertus sum, ut non inutilem aut superuacuam operam me nauaturum putarim, si specimen istiusmodi obseruationum exhiberem quas in amoenissimo isto campo in quo passim per subsecuas horas pascor et recreor, legere et in in historiae naturalis usum vertere licuit.

Varius vero horum antiquae artis monumentorum usus in naturali disciplina, pro vario quo eum praestant respectu, ad terna maxime capita referendus videtur. Ad *imagines* nempe rerum naturalium memorabilium quas exhibent; tum vero et ad ipsam *materiem* ex qua fabrefacta sunt; denique etiam ad aduentitias et fortuitas conditiones, siue *mutationis* quam materies diuturnitate temporis experta est, siue *situs locique* ubi monumenta eruta sunt singulari ratione, aliquam naturalis historiae partem illustrante. Quem quidem triplicem usum iam in limine disquisitionis quasi in antecessum uno alterove exemplo illustrare liceat.


Et quod ad primum eorum attinet, rerum scilicet naturalium a priscis artificibus expressarum *imagines*, in vniuersum eximia et singularis accuratio admiranda venit, qua praesertim animalia exacte ad naturae veritatem effinxerunt, quae quidem quantum et in minimis eorum partibus obseruata, neglectus vero eius vitio versus fuerit, vel Polycleti exemplo docemur, cuius quippe absolutissimi ceteroquin operis equus affabre pictus, tamen ideo taxatus est, quod contra huius animantis naturam cilia in inferiore quoque palpebra appicta haberet, vt pote quae pridem monente Aristotele, praeter hominem paucissimis tantum animantibus data, equo vero ut longe plerisque ceteris quadrupedibus a natura negata sunt. Quae quidem accuratio veterum artificum in exhibendis animalium figuris, etiamsi eam passim in eorum operibus desideres, neque ea

in


I.




2




3




4




5



6





in reliquis vnam eandemque laudem mereatur, in vniuersum tamen ita se commendat, vt multorum orbis veteris animalium exoticorum imagines a priscis plastices sculpturaeque et caelaturaे artificibus longe magis ad naturae veritatem exhibitae sint quam in numerosis iconibus quibus proximis post renatas litteras seculis zoologiae auctores opera sua passim magis onerasse quam ornasse dicendi sunt. In quo qui- dem recte et viuide rerum naturalium et animalium praesertim imagines ad amussim et tamen cum singulari facilitate figurandi studio inprimis excelluisse videntur Aegyptii artifices, quod quidem praeter alia religioso cultui quo multifaria patriae suae animantia eam gentem prosecutam esse nouimus a), deberi probabile est.

Vel unicum saltem exempli caussa in medium proferre liceat specimen, icunculam minutissimam siglinam *hippopotami*, ex eorum sigillorum antiquissimorum multifario ordine quae magno subinde numero in quibusdam funerum Aegyptiacorum medicatorum, quae mumias vocant, generibus reperiuntur, variaque eius gentis symbola religiosa repraesentant; ex argilla modulo quodam cusa vel impressa tumque igne cocta, fere ut pistores haud absimili ratione placentulas mellitas in varias icunculas formant.

Quod hic exhibeo (Tab. I. Fig. 1.) hippopotami signum BOETTIGERO V. C. acceptum referto, cui generos. DE HAMMER varia id genus symbola figlina miserat, prope' Sacaram ad mu- miarum cryptas in arenoso solo ab ipso reperta. Parua sane res siue molem, siue materiem, siue denique leuem quo efficta est fabricationis modum spectes; ast nihilominus praeter insignem rari- tatem (nam etsi alia huius generis sigilla copiose in Aegypto repe- riantur, hippopotamorum tamen icunculae rarissime inter ipsa occurunt) asserto de quo agimus probando commodissima; siquidem non solum in paruitate sua totalem tamen vt ita dicam immanis belluae habitum, sed et peculiarem vt videtur hippopotami Aegyptii

Y 2 character-

a) v. GEOFFROY-SAINT-HILAIRE sur les animaux du Nil considérés dans leurs rapports avec la théogenie des anciens Egyptiens in EJ. Mémoires d'histoire naturelle T. I. p. 26.

characterem, rostrum scil. resimum, laculenter exprimit; Aegyptii inquam characterem, qualis nempe tum ab auctoribus qui eum accurate descripserunt, tum in priscae artis monumentis, quotquot eorum prodigiosum hoc animal exhibent *b*), ipsi tribuitur, et quo ab eo hippopotamo quem australis Africae plaga ad promontorium bonae spei fert (quantum nempe ex iconibus et exuviis eius iudicare licet), ita differre videtur, ut non leuis exin suspicio nascatur, diuersas forsan eas esse nisi species attamen varietates *c*), quarum prioris istius, nempe Aegytiacae, cum iam pridem Aegyptum inferiorem habitare desierit, vix alias icones ad viuum paratas quam in priscae artis monumentis habere licebit.

Verum iam ad alterum quem diximus respectum quo horum monumentorum studium naturali historiae inseruit; *materiei* nempe ex qua fabrefacta sunt. Vti prior ille, quem modo tetigimus usus, maxime ad zoologiam et quod mox probabimus ad varietatum generis humani notitiam pertinet, ita hic potius mineralogiae interest, id quod neminem fugiet qui vel meminerit, non unam fossilium speciem, aut memorabilem speciei alicuius varietatem, mineralogis hactenus vnicce ex priscae artis operibus innotuisse; quorum trigam saltem impraesentiarum nominasse sufficiat, plasma inquam smaragdinum (ital. *Plasma di smeraldo*), sardonychem Plinio coecum (vulgo *Niccalo*) dictum *d*), et sardam nobilem (*Corniola nobile di vecchia rocca*.)

b) Cfr. de his post alios GOTTL. WERNSDORF *de tribus feris quae in numis secularibus Philipporum Augg. conspiciuntur*. Dantisc. 1759. 4. J. GOTTL. SCHNEIDERI *historiam hippopotami veterum criticam*, et G. CUVIER *sur l'hippopotame et sur son ostéologie*.

Etiam JO. HIER. CARLI a. 1775. academiae scientiarum Mantuanæ, cui a secretis est, commentationem exhibuit de hippopotamis qui in priscae artis operibus spectantur, quam autem typis mandatam esse nondum resciui.

c) Hippopotami crania differre in figuris, iam ab acutissimo viro JO. HERMANN obseruatum est, in *obseruationibus zoologicis posthumis* p. 91.

d) Nuperorum quorundam opinio (v. c. BOSSI in *gemme incise* T. I. p. 93.) qui horum Sardonychum velo caesio tectorum (ital. *Niccoli col velo turchino*) stratum superius non natura sua, sed artis ope, ita coloratum esse

rocca.) Horum omnium magnam vim prisorum artificum caelo incisam extare, posteriorem a Graecis, priores binas contra, plasma nempe et sardonychem coecam a Romanis tractatas, omnes nouimus, sed vnde ipsos eos lapillos habuerint, quiae genuinus sit eorum natalis locus, hactenus adeo ignoratur, ut quantum scione quidem rude adhuc et artificialis politurae expers eorum specimen cuiquam mineralogorum dictum sit.

*Vltima denique ternarum rationum quae artium quas innuimus studium naturali historiae mirifice fructuosum reddunt, aduentitias spectat conditiones, siue *loci* et *situs* quem monumenta antiquaria per longa annorum secla seruarunt, siue *mutationis* quam materies eorum diuturnitate temporis subiit.*

Cum modo gemmarum sculptarum meminimus, liceat ex ipsarum quoque quas nominauimus numero exemplum quod ad manus est proferre, non quidem lapidis raritate aut caelaturaे praestantia insigne, verum ob metamorphosin, quam annuli cui includitur materies passa est, memorabile. Sardonyx est coecus quem vulgo *nicolum* appellant, annulo quondam ferreo, quales milites apud Romanos gestare solebant, inclusus, in agro Neomagensi, antiquatum Romanarum adeo diuite, haud ita pridem effossus, lapillo ipso (cui martis gradui parazonium dextra tenentis figura insculpta est) plane intemerato, annuli vero materie temporis iniuria ita mutata, ut ferrum intime oxydatum ut hodie vocatur in mineram ferri fuscā solidam abierit, interim tamen gemmam ipsam ambitu suo firmissime retinuerit.

Y 3

Verum

esse ideo autumant quod nullum eorum rude adhuc specimen innotuerit, vel eam ob causam parum valere videtur, cum eadem ratio etiam plasmatis aliarumque gemmarum sit, quarum patria hactenus ignota est et quae non nisi polita iam aut sculpta occurrunt.

Praeterea vero eidem sententiae obstant eiusmodi niccolorum exempla pluribus iisque alternis fusi et lactei coloris stratis, composita, quale in supellectile mea seruo antiquissimae indicae glyptices specimen, coffeae fabam magnitudine non excedens, imagine bouis gibbosii insignitum (cuiusmodi et TASSIE in Catalogo gemmarum T. I. n. 3151. exhibet) et nouem alternis stratis parallelis constans.

Verum hoc obiter saltem, cum parui momenti sit si cum longe maioribus comparetur phaenomenis *situs* monumentorum antiquae artis, quatenus tum fossilem quorundam antiquitatem, tum vero vicissitudines et miras conuersiones quas terrae quam incolimus superficies pridem subiit, luculentissime demonstrant. Etsi enim parum tribuam sublestae fidei narrationibus Winkelmanni e) aliorumque de instrumentis opificum et numis quos in veterum marmorium imo vero et graniti meditulliis repertos esse perhibent, alia tamen huc faciunt exempla aut extra omnem dubitationis aleam posita aut saltem probabilia, quibus sane incrementum non solum stratorum superficialium quae terraqueum orbem passim inuestiunt, sed et temporis quo increuerunt ratio declaratur. Pertinet huc v. c. numus Gordiani pii, quem triginta pedum altitudine in turfaefodinis Groningensibus erutum esse legimus f), et quae satis nuperum augmentum tantae turfae molis aequem monstrant ac ollae ossuariae quas in terris Osnabrugensibus passim insignibus stratis minerae ferri aquosae obductas nouimus, itidem recentiorem eius ortum manifestantibus, cum contra similes vrnae quas vel in vicinia nostra prope pagum Weende et ad radices montis Heinberg, super margae tofaceae stratis effossas nouimus,

aut

e) *Anmerkungen über die Baukunst der Alten.* Lips. 1762. 4. p. 3. Cum vero huius libri exemplar ipsius auctoris manu infinitis locis auctum et emendatum et ad nouam eius editionem apparatum possideat filius carissimus G. BLUMENBACH, operae pretium duxi integrum eum locum ex ipso WINKELMANNI autographo hactenus anecdoto hic subiungere: postquam enim tosi Tiburtini (ital. *Travertino*) lapicidinas denuo coalescere contenderat, ita pergit: "Auch der Marmor wächst wiederum zu: denn man fand eine eiserne Brechstange in einem grossen Blöcke von sogenanntem africanischen Marmor, da derselbe für die Kirche Della Morte hinter dem Farnesischen Pallaste, verjagt wurde."

"Noch außerordentlicher aber ist eine Säule von Granit, in welchem man zu Rom vor 30 Jahren eine goldne Münze des Augustus fand, da man es zerstigte. Diese Münze war in den Händen des berühmten Antiquars FICORONI, folglich muss sich dieser Granit innerhalb 300 Jahren erzeugt haben: denn nach dieser Zeit wird man schwerlich Säulen in Aegypten haben aushauen und nach Rom kommen lassen; die Kaiser des vierten Jahrhunderts zerstörten ältere Werke um die ihrigen davon aufzuführen."

f) HEERKENS elegia de terra Groningensi scis vili.

aut aedificiorum Romanorum rudera prope Wiesbaden visenda et eidem margae superstructa, antiquitatem eiusdem testantur. Ut famosum et hactenus aenigmaticum taceam phaenomenon, quod ternae columnae g) marmoris ex niueo et porraceo mixti (ital. *Cipollino antico*) in templo Serapidis Puteolano praebent, quae quidem, etsi situm erectum et symmetricum rite seruarint, tamen duodecim pedum altitudine super solum s. pavimentum, et viginti septem super maris vicini mediterranei superficiem zona quasi horizontali foraminum et cauernularum a mytilis lithophagis marinis terebrando effectarum ita cinctae sunt, ut eam templi altitudinem ab eo quo exstructum est aevo, aliquando et quidem per non breue temporis spatium ad zonarum istarum altitudinem arenis marinis submersam, posteaque iterum ab iis liberatam esse oportet h).

Et quidem hactenus de triplici respectu ex quo priscae artis monumentorum usum in naturali historia illustranda aestumare licet, in vniuersum.

Iam vero agamus et ex archaeologico penu varia artis vetustae opera singulatim in medium proferamus, ut quantum lucis naturae studium ex iis lucrari possit, videamus.

In quorum quidem recensu systematicam methodum sequi, hincque vniuersam tractationem ad quaterna capita principalia redigere praefat, *anthropologiae* inquam, *zoologiae*, *botanologiae* et *mineralogiae*.

A) ANTHROPOLOGICA.

Quicquid in artis antiquae operibus varietates generis humani spectat, quantum ego quidem noui, vnicice ad binas earum reddit, *Caucasiam* inquam quatenus orbem sic dictum veterem complectitur, tumque *Aethiopicam* i). *Mongolicae* contra ne vnicum quidem mihi hactenus

g) P. ANT. PAOLI *antichita di Pozzuoli* tab. 15.

h) v. post alios ERMENEG. PINI in *Memorie della Societa italiana* T. IX.

p. 199 et G. A. DE LUC in *Journal de physique* T. XLIX. p. 425.

i) *Aethiopum capita in artis priscae monumentis exhibent v. c. FICORONII gemmae antiquae litteratae* P. II. tab. 2. 3. et CAXLUS, *Recueil* T. VII. tab. 51.

hactenus occurrit specimen, noui quidem d'Hancarvillum *k*), virum paradoxorum in archaeologiae studio amantissimum, tum numerosa memorare monumenta antiqua, maxime Aegyptiaca, Londini tam in Britannico quam in Townleii museis visenda, mongolico vultu insignia, tum vero et exempli instar citare signum aeneum Herculanense *l*) faciem Calmucci ad amusim ut putat referens. At enim vero ridiculam hancce Sileni caprinas habentis aures et clunibus subsidentis icunculam mirum quantum a genuino mongolico habitu abhorrere, quemuis in studio anthropologico non plane hospitem vel primo intuitu fateri necesse est, quod autem Aegyptiaca illa idola attinet id vnicore afferere possum, me ipsam eam antiquariam supellectilem in museis quae memorat, curate et repetitis vicibus et sigillatim respectu ad anthropologiam habito lustrasse, verum ne vnicum in ea, me reperisse specimen quod paradoxae isti opinioni faueret, plura vero quae nisi me omnia fallunt auctori eius erroris ansam praebere potuerunt, potissimum vero inter ternas easque inuicem diuersas vultus Aegyptiaci varietates in priscis istius gentis monumentis distinguendas, quarum characteres alias ex professo exposui *m*), maxime vulgaris ea autochthonum Barbariae satis similis, et a veteris Libyae incolis verisimillime deriuanda, facie latiore, tumidiore insignis, quae praesertim in rudioribus eiusmodi icunculis obiter saltem eas intuenti aliquam etsi valde adhuc remotam mongolici habitus speciem, p[ro]ae se ferre videri posset.

Alteram veterum Aegyptiorum vultus speciem proprius ad *aethiopicum* accedere, ut tertiam ad *Indicum* obseruasse mihi visus sum. Quod vero priorem attinet, vix monitu opus videtur, in tanta quae varias aethiopum gentes per vastas Africae torridae plagas

late

XII T
tab. 51. fig. 2. tab. 81. fig. 5. *Gemmae antiquae* ANT. MAR. ZANETTI
tab. 71 sq. cf. et *Bronzi di Ercolano* T. II. tab. 90.

Aethiopes Indi vero tam in vetustissimis monumentis templorum subterraneorum Elephantae insulae, quam in Persepolitanis occurrunt.

k) Recherches sur l'origine des arts de la Grèce T. I. p. 299 sq.

l) Bronzi di Ercolano T. II. tab. 88.

m) Philosophical Transactions for 1794. P. I. p. 191.

late dispersas intercedit vultus varietate, vel ex senis quae in Decadibus craniorum exhibui genuinis earum capitibus osseis conspicienda, non nisi eas cum Aegyptiaca de qua agimus vultus varietate, quam v.c. sphingis colossea imago n) p[ro]ae se fert comparandas esse o) quae proprius a Nubica et Habessinica absunt longe vero a Congana aut Angolensi differunt.

Et de Indica veteris Aegypti incolarum varietate similiter notandum in tanta stirpium quae istam peninsulam cisgangeticam temporum successu inhabitarunt imo et etiamnum incolunt diuersitate, itidem non nisi de ea nobis sermonem esse quae facie oblongiore, naso gracili in acutiores apicem decurrente, palpebris latius fissis auriculis paulo elatioribus, et quoad truncum corporis, perquam angustis hypochondriis insignis, et vel ex idolis Bramanicis et picturis Indicis vulgo nota, Aegyptiorum autem imaginibus quales in mumiarum picturatis inuolucris et sarcophagis ut et in Aegypti templorum et sepulcralium monumentorum parietibus occurunt, perquam similis est.

Cumque nuperis praesertim temporibus de artium apud veteres Graecos ex Aegypto deriuanda multa disputata sint, quæsatum quoque est anne ea opinio, praeter alia, similitudine faciei stabiliri posset quae in antiquissimis graecanicae quæ supersunt artis operibus occurrit, et cum ipsa ista Indo-Aegyptiaca conuenire videatur. Referunt huc v.c. Palladis imaginem in vetustissimis Athenarum tetradrachmis conspicuam, cuius ideo accuratam figuram ex archetypo qui ad manus est hic exhibere operaे pretium duxi (Tab. I. Fig. 3.), etsi mea quidem opinione, singularis hic faciei

character

n) NORDEN tab. 43. DENON tab. 20. N. I. VOLNEY *voyage en Egypte* T. I. p. 71. ed. 3. LANGLÈS *Notes et Eclaircissements sur le voyage de Norden.* T. III. p. 348.

o) *Proceedings of the african association.* T. I. p. 29. PAULINI A. S. BARTHOLOMAEO *mumiographia mus.* Obiciani p. 20. 50. D. J. LARREY *Relation historique et chirurgicale de l'expédition de l'Armée d'Orient en Egypte etc.* Par. 1803. 8. p. 404.

cf. et LARCHER ad Herodotum. T. II. p. 396. ed. 2. (1802) et WALKENAER in ARCHENHOLZII *Minerva* 1805. T. II. p. 164.

character tantopere ab eo abhorrens quo diuina a Periclis inde aeuo graecae artis specimina superbunt, magis ad rudiora artis tirocinia quam ad eam quam diximus natuam similitudinem referendus videtur.

In tanta quam modo tetigimus Indicae peninsulae incolarum varietate gentilitia, maxime memorabilis ea nominanda venit, cuius imagines anaglyphae in antiquissimis templis subterraneis insularum Salfette et Elephantae prope Bombayum ex ipsa rupe stupendo artificio excisis extant. Quanquam enim et has hominum figuras non unius eiusdemque gentis esse facile patent, prae reliquis tamen singularis videtur una earum, cuius plura specimina, capita praesertim decussa, sed et integra nefandi argumenti symplegmata, Londini in museis quae supra laudaui tum et in Parkinsoniano videre mihi licuit, singulari in primis fere globosa cranii figura a vulgari Indorum quos modo dixi conformatio valde diuersa. Eandem tamen et hodienum adhuc sparsis per Indiam tribubus monticolis propriam esse, postmodum tum nuperorum obseruatorum testimoniis didici, tum vero et crano Indicae eiusmodi puellae Havniae ante aliquot annos mortuae confirmatum vidi, quod quidem uniuerso suo habitu perfecte cum istis perantiquis anaglyphis, quorum curatas icones seruo, congruit.

Ipsum vero hocce cranium et alias adhuc mentionem iniiciendi ansam praebet, quod itidem antiquo artis operi illustrando inferuire poterit. Constat quippe quantum inter archaeologiae peritos de significatu notissimae statuae politoris s. vt vulgo audit *rotatoris* disputatum sit p) cuius aeneum exemplar curatissime ex archetypo Florentino effictum, toties in museo Cassellano studiose contemplatus sum. Interim isti sententiae cui multi Leonardum Augustinum secuti calculum adiiciunt, seruum nempe Scythicum esse, aliquale pondus accedere posset crano Casacci Donensis quod aequa ac Indicum illud in museo meo anthropologio seruo, siquidem id ipsum omnibus eis notis quibus statuae istius caput insigne est, fronte praesertim reclinata

(qualem

p) v. FIORILLO, *Schriften artistischen Inhalts.* T. I. p. 252.

(qualem Apuleius relicinam vocat) et mandibulae angulis eminentibus et late ab inuicem distantibus, ad amissim cum eo conuenit.

Summae et vere mirificae corporis humani pulcritudinis quae tot graecanicae artis quae supersunt documenta sensus commouent et voluptate impellunt, rationem aliis ad felicem et benignam coeli et climatis terrarum ad mare aegaeum adiacentium temperiem referre placuit, quae vel hodienum pulcherimas producat corporum formas, dum alii contra diuinam eas species in rerum naturis vere tales extitisse dubitent easque potius artificum ideae et ingenio eatenus saltem tribuere malint, ut hos ea quae in diuersis corporibus pulcherrima obseruarint, iunctim in operibus suis composuisse potent, quale quid utique de Zeuxide memoratur qui Agrigentinis facturus Helenae in tabula imaginem, inspexerit virgines eorum nudas, et quinque elegerit, ut quod in quaue laudatissimum esset, pictura redderet. Imo vero nuperi quidam egregii viri iisque cum anatomes tum artium imitaticum periti, eo processere ut in vniuersum idealia ut dicunt graecanicae artis lineamenta faciei, praesertim si oblique s. a latere spectentur, (Gall. *en profil*) ultra naturae limites exorbitantia q) aut sane ex characterum diuersae aetatis connubio, infantilis scilicet in qua facialis linea ut vocatur magis ad perpendicularum descendat, et maturioris virilis confusa r) autument. Verum in has opiniones paucis animaduertere liceat. Et primo quidem et inter veteres Graecos multifariam et neutiquam vnius eiusdemque pulcritudinis fuisse vultus diuersitatem si probatione adhuc egeret, vel numerosis quae in museum Napoleoneum congestae sunt genuinis eorum marmoreis imaginibus doceremur. Imo vero et perfecte pulcros inter veteres graecos non magis frequentes fuisse quam apud hodiernos s), iam Cotta apud Ciceronem

Z 2 monuit

q) CAMPER über den Unterschied der Gesichtszüge etc. p. 63 et al.

r) BARCLAY's new anatomical nomenclature. Edinb. 1803. 8. p. 148.

s) V. post tot alios nuperimum adhuc testem BARTHOLDY in Bruchstücke zur näheren Kenntniss des heutigen Griechenlands P. I. p. 385.

monuit t). Ab altera autem parte summam et idealem illam formae pulcritudinem et extra Graeciam et hodienum adhuc inter populos quae ad Caucasiam generis humani varietatem pertinent non inauditam esse neminem latere potest nisi praeiudicio occaecatus fuerit quasi ea praerogativa Graeciae fuerit, quem quidem errorem iam magnum artificem Berninum curatiore naturae studio, nominatim respectu decantatae in Venere medicea summae pulcritudinis, refutasse memoratur. Addere mihi liceat nonnulla eximiae formae crania quae supellectilem meam anthropologicam ornant, prae ceteris vero illud feminae Georgiana exemplaribus curatissimis admirandorum Graecae artis archetyporum quae cum eo comparare soleo exactissime respondere. Quod vero ea attinet quae de facialis lineae in graecae artis monumentis directione assertum legimus, monuisse sufficiat utique apographa eorum aeri incisa ut et passim picturas quarum auctores ea imitari studuerunt, passim modum excedere, in ipsis vero archetypis quantum mihi quidem in ditissimis Galliae et Angliae museis obseruare licuit, eam lineam vix unquam angulum rectum attingere, neutquam vero superare: putatitiam autem compositionem formae faciei infantilis cum virili nunquam vel tolerabilem saltem vultus venustatem efficere posse.


Aliter vero se res habet cum aliis generis connubio a graecis antiquae artis auctoribus in Hermaphroditis fingendis exhibito, quod quidem, ut Heynii, viri summi mihique coniunctissimi, verbis utar u), non eo modo factum arbitror, ut utriusque sexus genitalia efficta essent; verum ut in signis, quae adhuc extant, praestantissimae artis, expresso corpore pueri pulcherrimo, sed ad omnes puellae veneres in pectore femoribus aliisque partibus accommodato: ita ut summa pulchritudo pueri ad suminam puellae pulcritudinem attemperata artificis ingenio insedisse dicenda sit. Imo vero non

ex

t) De N. D. I. r. c. 28. "quotusquisque enim formosus est? Athenis cum essem, e gregibus epheborum vix singuli reperiebantur."

u) *Priscae artis opera ex epigrammatibus graecis partim eruta partim illustrata in Commentation. Soc. Reg. Scientiar. Goettingens. vol. X. p. 84.*

H.





ex ingenio tantum sed ad ipsam naturae veritatem ea signa ficta esse dixerim; siquidem, quod alias iam tetigi, ut in viraginibus barbigeris masculus habitus, ita in iuuenili quoque corpore sui sexus organis genitalibus rite instructo, quoad reliqua passim perfecte feminea mollities et muliebris conformatio ac partium proportio locum habet. Aliis antiquae artis monumentis quae puellares eiusmodi iuuenes exhibent qui vulgo hermaphroditorum nomine veniunt addere liceat similem in vasculo etrusco ^{x)} quod in propria supellectile seruo (Tab. 11.) iuuenem alatum, bacchicorum mysteriorum symbola p[re]se ferentem, et cui itidem partibus quibus mares sumus, femineum pectus et coma iuncta sunt. Qui quidem et Bacchi marmoreum signum in memoriam reuocat quod in selectissima Townleii museo vidi, altera manu vuam altera auem mutilam tenens infra vero in terminum desinens, itidemque praeter mascula genitalia totum quantum muliebrem habitum exhibens.

Apud virum eundem humanissimum et doctissimum aliud vetustae artis opus videre mihi licuit cuius iconem ob singularem raritatem et argumenti aliqualem affinitatem hic subiungere lubet (Tab. I. Fig. 5.) Argenteum est sigillum quod primo intuitu vtriusque sexus genitalia inuicem connata exhibere videtur, adeoque ab ipso desideratissimo possessore itidem pro symbolo Bacchi biformis ut in Orphicis carminibus audit, habebatur. Mihi vero nisi omnia me fallunt potius votuum signum viri esse videtur, eo obscenarum partium male conformatarum spurco vitio laborantis quod vago quidem nec satis definitio *hypospadias* nomine ^{y)} venit et vrethrae

Z. 3

hiatu

^{x)} Curatiorem eius descriptionem et icones expectamus a cl. HEINRICHIO Kilonensi, qui in *commentat. academica, qua Hermaphroditorum, artis antiquae operibus illustrum, origines et causae explicantur*. Hamb. 1805. sequentibus quae hic exscribere liceat eius mentionem fecit: "vas ineditum Etruscum pictura ornatum Graecanica, — pretiosum et rarae artis figlīnum, in quo pictus est Hermaphroditus alis supra terram sublatus, laeva cistam mysticam attollens, dextraque paululum submissa tympanum tenens: figurae admodum venuste expressae ut elegans atque perfecta conformatio, ita mera feminea est corporique muliebri omnibus partibus, si ab naturalibus discesseris, consentanea."

^{y)} v. HENR. STEPHANI *Dictionarium medicum*. Paris. 1564. 8. p. 426.

hiatu siue sub cole, siue ut in hoc rariore exemplo in ipso perinaeo contra naturam fissae constat. Cuius equidem monstrosae fabricae perfecte similia exempla apud auctores passim memorantur z), analogon vero et mihi ipsi ante aliquot annos in iuuene 24 annorum obseruare licuit qui inde a natuitate pro hermaphrodito, postmodum vero aequo falso pro virginе male conformatis genitalibus habitus erat.

Veteri quod diximus sigillo aliud iungere operae pretium est (Tab. I. Fig. 4.) aeneum et quantum noui hactenus in suo genere vnicum et vsque adhuc anecdoton, cuius copiam viro illustri Richardo Payne Knight Graecarum Romanarumque litterarum et artium doctissimo debeo. Genitalia puelli repraesentat cui praeputium ante glandem filo arcte ligatum est, et si quid recte video itidem pro votiuo habendum erit signo pueri cui glans colis nuda fuerat, decoris causa, methodo a Cornelio Celso descripta curandi; quod quidem ut inquit a), expeditius in puerō fieri potest quam in viro; in eo, cui id naturale est, quam in eo, qui quarundam gentium more circumcisus est; in eo, cui glans parua iuxta eam cutis spatiofior, breuis ipse colis est, quam in quo contraria his sunt. Curationem autem eorum quibus id naturale est, et quantum quidem ad illustrandum sigillum attinet de quo agimus, eiusmodi describit, ut scilicet cutis circa glandem prehendatur et extendatur, donec illam ipsam condat; ibique deligetur et s. p. Quid vero veteres Romanos ad tam crudelem ferro medendi glandis nuditati encheires in inducere potuerit, praeter decoris causam, siquidem indecorum ipsis erat verpos et recutitos videri, hoc praesertim suisse credibile est ut pueros eo modo futurae *infibulationi* b) aptiores redderent,

z) cf. v. c. GER. BLASII *obseruata anatomica* p. 123. CHR. MENTZEL in *Eph. N.C. Dec. I. a. VIII. p. 8. 10. CHESELDEN'S Anat. des menschl. Körpers* p. 306. tab. 33. EV. HOME in *philos. Transact. for 1799.* p. 162.

a) L. VII. c. 25.

b) De qua v. compilatam farraginem in RHODII *de acia diff. ad Corn. Celi mentem.* Patav. 1639. 4. et Lond. Scanor. 1691. 4.

Antiquum citharoedi infibulati signum aeneum quod in museo Romano extat, v. in WINKELMANNI *monumenti inediti* vol. II. tab. 188. et vol. II. *bibliotheca* quam edidi *medicae* P. IV. tab. I.

redderent, quam quidem postmodum maxime in citharoedis, comoe-
dis, etc. eo fine adhibebant, ne coitum exercere possent vtpote quem
voces corrumpere nouerant c).

Obiter his adiecissem liceat non vnum ab auctoribus medicis
memorari exemplum puerorum, quibus ne lectum permingerent cole-
ligato vrethra retro vinculum fissa est, ita vt encheiresis quam poste-
rius quod modo descripsimus sigillum exhibet, eiusmodi vitio qua
alterum nobis antea dictum spectat, occasionem praebuerit d).

Denique his addere quoque lubet Aegyptiacam icunculam
figlinam ex earum adeo ordine cuius iam supra meminimus, quales
nempe magno subinde numero in mumiarum medicatis cadaueri-
bus repertae sunt. Etsi enim oculorum figurae saepissime inter
hieroglyphica occurrant e), denuo tamen et hanc tot aliis addere
vel ideo minime superuacuum putaui, quod ipsa haec illustrandae
isti hieroglyphicae notae diuersimode a doctis interpretibus ex-
plicatae f), inseruire posset. Mirum videri posset adeo simplicem
figuram qualis huiusmodi oculi est, nihilominus a nonnullis modo
pro Anubidis simulacro g), modo pro prora nauigii, aut bellico
quodam instrumento h) habitam fuisse, nisi hic lapsus partim ex
peruerso situ explicandus esset, quo eam adspexerunt et delinearunt,
partim vero ex eo quod lapidea huiusmodi sigilla, nam varia eorum
specimina ex basalte, porphyrite, graniteve fabricata mihi ad
manus sunt, adhuc imperfecta, margine nempe solummodo ex-
sculpta in vtraque vero latiore facie nuda et tantum polita relicta
sint.

c) HIER. MERCURIALIS variar. *lettion.* I. I. p. 53. ed. Parif. 1585. 8.

d) v. STALP. VAN DER WIEL *observat. ravior.* Cent. I. p. 367. J. CHR.
FRITSCH *medicinische Geschichten* T. V. p. 336.

e) v. post tot alios DENON tab. 96. fig. 19. 21. tab. 98. fig. 17. tab. 117.
fig. 69. et al.

f) De quibus instar omnium v. SCHLICHTEGROLLII *Dattyliothecam Stoschia-*
nam T. II. p. 34 et al.

g) CHR. HERTZOG in *mumiographica medica* p. 70. fig. 8 - 19. cuius vero
libri verum auctorem esse GOTOFR. VOCKERODT Gymnasi Gothani quon-
dam Rectorem, docent *Leipziger gelehrte Zeitungen* a. 1717. p. 295.

h) CAYLUS, *Recueil* T. II. p. 42. tab. 10. fig. 3. et T. VII. p. 17. tab. 7. fig. 3.

sint. Verum et in iis quae rite perfecta distinctam oculi figuram praes ferunt, haec ipsa tamen longe plerumque singularibus adhuc ductibus et quasi appendicibus instructa est de quarum significatu hactenus ambigitur, vtrum proxime ad ipsum oculum pertineant *i*), anue potius longe alienas partes et quidem obscenas, colem scil. et testes *k*) denotent, quare et vniuersa huiusmodi oculi figura phallus oculatus KIRCHERO aliisque audit. Quanquam vero haec magni istius per insomnia Oedipi opinio infirmo nitatur talo, attamen ipsos istos ductus hactenus aenigmaticos non ad oculum ipsum proxime pertinere ex eo quod ideo hic exhibemus specimine (tab. I. fig. 2.) probabile videtur siquidem id in altera sui facie vnic oculum ipsi argillaceo modulo impressum, in altera contra ea parerga nigro colore et pictura quasi vitraria argillae desuper inducta separatim exhibeat.

B) ZOOLOGICA.

Iam vero anthropologicas hasce obseruatiunculas aliae quaedam excipient ad animalium historiam facientes, quarum prima quidem *rhinocerotem* attinet. Quanquam enim nuperis temporibus bicornis istius belluarum generis species veteribus cognita et in aere antiquo obuia toties iam agitata fuerit *l*) addere tamen adhuc liceat iconem elegantissimi priscae artis sigilli aenei (tab. I. fig. 6.), quantum noui nondum antea editi, quod in supellestile antiquaria musei Cassellani extat et cuius exemplar gypseum penes me est. Verum et in Domitiani numis aeneis minoris moduli praeter bicornem vtique et vnicornem exprimi rhinocerotem, cum ab aliis post Spanhemium annotatum

i) Ita v. c. WINKELMANN in ea quam modo laudauimus *Dacryliotheca* p. 35.

k) v. PIGNORII *exposit. mensae Isiacae* p. 26. ed. Venet. 1605. 4. KIRCHERI *Oedipus aegyptiac.* T. III. p. 117. 415. SHAW's *Travels* ed. 2. p. 486. tab. 3. fig. T.

l) FR. GOTTH. FREYTAG *rhinoceros e veterum scriptorum monumentis de scriptus* Lips. 1747. 8. SLOANE in *philos. Transact.* vol. XLVI. p. 124. PARSONS ib. vol. LVI. p. 32. CAMPER *Naturgeschichte des africanischen Nashorns* p. 22.

tum est, tum et ipse in ditissimo thesauro numario Gul. Hunteri vidi et quidem in exemplo adeo integro et intemerato ut reuera *vnicornis* speciei iconē signatum esse nullum dubium supersit *m*). Cumque valde improbabile sit, veteres Romanos rhinocerotis *vnicornem* speciem ex India, cui haec quidem indigena censemur, Romam arcessisse, magis credibile mihi videbatur dari et inter africanos bicornes passim exempla anomala *vnico* saltem cornu instructa, quod et postmodum nuperi auctoris fide digni testimonio confirmatum vidi *n*), nec magis saltim incredibile est quam quae de Sumatranis rhinocerotis *vnicornibus* relata legimus *o*) subinde his et bicornia specimina intercurrere.

Iis vero quae supra iam de dupli forsitan hippopotamorum Africæ nisi specie saltem varietate opinatus sum, similem hic conjecturam iungere liceat de *camelopardalorum* quoque diuersitate, siquidem vt non omnibus idem color *p*), ita nec si antiquis rari animantis iconibus fidere licet, partium quoque non eadem conformatio esse videtur. Ita vc. in pinacotheca tabulam seruo ab egregio artifice italo Ant. Lafreri ante ducentos et quod excurrit annos aeri incisam, trium animalium generum, *ex vetustissimis* (vt epigraphe docet) *picturis Romae trattorum* imagines exhibentem, quinos scilicet elephantos, dromedariorum bigam, vnamque camelopardalin, quae quidem posterior vti iuba ceruicali et caudae terminali flocco caret ita contra mystace insigni labiali instructa est. Verum hanc non nisi conjecturalem hactenus obseruationem esse, repetere superuacuum foret, absuna vero nemini videbitur consideranti similes non modo varietatum sed et vere specificas differentias in aliis tropicarum

m) Nam bini eiusdem moduli Domitiani numi aenei quos quidem in ditissimo numophylaceo Saxo-Gothano videram, adeo attriti erant vt nihil de animantis cornubus vtrum singuli saltem aut duplices fuerint, decidere liceret.

n) O. FR. MENTZEL *Beschreibung des Vorgebirgs der guten Hoffnung.* T. II. p. 395.

o) W. BELL in *philosoph. Transactions for 1793.* P. I.

p) M. PARK's *Travels* p. 207. murini coloris camelopardalin in R. Bambara viderat.

rum belluarum generibus, elephantum vc., rhinocerotum, crocodilorum etc. nuper obseruatas esse, postquam diutissime pro vnius eiusdemque formae identicis animalibus habita fuerunt.

Quod passim in priscae artis operibus, marmoreis praesertim q), etiam in monumentis Persepolitanis r), *equi camelis* in eadem pompa intermixti occurrant, male quidem cum veterum post Herodotum et Xenophontem, verum et recentiorum s) asserto congruere videtur, quo equos naturale aduersus camelos odium gerere aiunt t), ita ut isti ad horum aspectum consternentur etc. Attamen componere licebit eam diffensionem, distinguendo equos qui primo et plane ipsis insueto camelorum occursu perterriti vtique expauescunt u), ab iis qui inde a iuuenta sua eos ferre ipfisque assuesci didicerunt, quod apud varias Asiae Africaeque gentes, Calmuccos vc. et Mauros, a remotissimis inde temporibus peruulgatissimum esse omnes nouimus.

LINNAEUS eiusque sequaces bubonem pro *Minervae aue* habuerunt, quo quidem lapsu male neglecti studii archaeologici poenas quasi luisse dicendi sunt, siquidem innumera graecanicae artis monumenta meliora eos docere debuissent, quorum quantum ego quidem noui nullum plane auritum bubonem, verum ad vnum omnes noctuam inauriculatam vt vulgo vocantur monstrant, e quorum numero vnum, et quidem ex antiquissimis in auersa istius cuius iam meminimus tetradrachmae Atheniensis facie, instar omnium

curata

q) v. c. ap. ZOEGA, *Bassirilievi antichi* T. I. tab. 7.

r) NIEBUHR, *Reisebeschreibung* T. II. tab. 23.

s) v. PALLAS, *Tableau de la Tauride* p. 40.

t) v. plurimis J. D. MICHAELIS *mosaisches Recht* T. III. p. 342. ed. 2.

u) Ab illustriss. comitibus TELECKI qui a. 1797 academiam nostram frequentabant, accepi, patrem eorum ex Turcico bello camelos Budam reportasse eo consilio vt iis tanquam iumentis in dominiis suis vteretur, mox autem eos iterum dimittere ideo coactum fuisse quod equi ad aspectum eorum efferati consternerentur. Eandemque ob causam, Senatum quoque Hamburgensem aliquando vetare voluisse vt ne cameli amplius a circumforaneis per plateas ducerentur. Etsi meminerim me Londini non semel dromedarium vidisse qui tum spectaculi causa publice circumdabatur et quem fere perpetuo equi occursantes tranquille praeteribant.

curata iconē exhibere liceat (tab. i. fig. 3.) quid quod et notissimum prouerbium, noctuas Athenas, quod ipse quem modo diximus vir immortaliter meritus, ad bubonem refert, non nisi de strige capite laeui valet, quae quidem graecis γλαυξ audit, et hodienum adhuc Athenarum vulgatissima inquilina est x). Graecum nomen vero a glaucis oculis habet quales a veteribus itidem Minervae tributos esse nouimus. Quod quidem epitheton etiamsi ut passim doctissimis viris placet, non tam colorem quam ignem oculorum denotet y), certe minus de aurantiis nullatenus cum humanis comparandis bubonis oculis quam de caeruleo-fuscis egregie cetero-quin splendentibus quales et strix aluco habet, intelligendum erit. Interim tamen addidisse liceat non vno argumento mihi probabile videri glaucos oculos etiam caeruleum eorum colorem indicare, Nigidii v. c. apud Gellium testimonio qui veteribus coesiam dictam esse ait, quae a Graecis γλαυκωπις, de colore coeli, quasi coeliam; tum vero quod et glaucus piscis (scomber amia) dictus sit a colore ex albo coeruleo; eandemque ob causam et berylo glaucus color a veteribus tribuatur.

Est inter lucernas fictiles musei PASSERII vna quae *crocodilum* exhibet a *leone confectum* z). Quod quidem etsi primo intuitu paradoxum videtur, attamen vtique contingere posse non vna ratione probabile fit. Primo enim Afros crocodilos passim a fluminibus aberrare et in deserta secedere, ita ut leonibus vtique occurrere possint, idoneus testis extat Jo. LEO a). Tum autem et immania ista aquatilia animantia reuera a feris, leoni affinibus, confici ex nouo orbe confirmatum accepimus b).

Aa 2

Cum

[x] Remarques d'un voyageur moderne (L. B. DE RIEDESEL) au Levant p. 138.

y) v. de ea auctorum dissensione docte disputantem SIM. PORTIUM de coloribus oculorum Flor. 1550. 4. p. 25.

z) T. III. tab. 15. fig. 1.

a) *Africæ descr.* p. 762. ed. Elzevir.

b) DE LA CÉPÈDE, *hist. naturelle des quadrupèdes ovipares* T. I. p. 227.
DOBRIZHOFFER *Geschichte der Abiponer* T. I. p. 300.

Cum in Aegyptiacae artis vetustissimis monumentis sacris serpentes exhibeantur collari regione distenta et quasi inflata c), quod de naia, Indiae orientalis colubro vulgo notum est, coniectura inde ortum duxit d), ipsum huncce colubrum perspicillatum istis monumentis repraesentari, nouo vt putabant arguento religatum Aegyptiorum cultum ex Indiis orsum duxisse. Parum vero hoc ipso ad fulciendam istam opinionem roboris accedere, facile patebit recordantibus esse quoque inter colubros Aegypto inquilinos, *hajen*, quae itidem collum mire dilatare solet e).

Torpedinis dorsum quinis vulgo maculis nigricantibus notari inter omnes constat. Est mihi tamen vas figlinum etruscum torpedinis figura insigne, quae senas istarum macularum in binas series distributarum prae se fert f). Quod etsi pictoris incuria factum esse potuisse facilis dederim, annotare tamen liceat, in eo huius piscis exemplo quod in museo academico asseruatur praeter quinas quas diximus maculas principes, pone eas plures alias eiusdem quidem magnitudinis sed languidi coloris obseruari, ita vt saltem non improbabile videatur etiam hanc graecanicam picturam ad naturae veritatem delineatam fuisse.

Scarabaeus sacratissimum hieroglyphicae aegyptiorum disciplinae animal, quod dehinc etiam a Graecohetruscis gemmarum sculptoribus toties effictum est, in istarum gentium multifariis artis operibus non plane eadem sed passim etiam a se invicem diuersa forma occurrit. Vulgatissima earum istum exprimit qui ideo a Linnaeo Scarabaeus *facer*, dictus est. Ipsam autem hanc speciem praeter

c) v. c. in magnis basaltinis cymatiis, vt architecti vocant, a WORTLEJO MONTAGUE museo Britannico illatis. v. JAC. BRYANT *new System of ancient Mythology* vol. I. tab. 7. et vol. II. tab. 16. cf. et ZOEGAE numis Aegyptii imperatorii p. 400.

d) v. a discourse on the Worship of Priapus p. 90.

e) GEOFFROY-SAINT-HILAIRE I. c. p. 21.

f) Iconem vasis dedi in *Abbildungen naturhistorischer Gegenstände* P. IV. tab. 57. cf. et PASSERII *pictur. Etruscor. in vasculis* T. I. tab. 6.

praeter diuersam magnitudinem aliis quoque characteribus variare inter entomologos constat g). Verum et specie inter se differre videntur, siquidem inter eos scarabaeos sculptos in mumiis repertos quos ipse ad manus habeo, plures sint quibus aequa ac in farda quam possideo etrusca cui Hercules leonem conficiens insculptus est, elytra profunde striata s. sulcata sint. Neque hoc mirum cum jam HORAPOLLO h) tres diuersas scarabaeorum species in hieroglyphicis distinxerit. Quaenam autem praeter facrum, reliquae fuerint dicere non ausim cum de entomologia aegyptiaca hactenus parum innotuerit. Scarabaeum *mimam* vero inter eos occurere ut nuper memoratum legi, ideo in dubium vocare liceat quod haec scarabaeorum species quantum ego quidem noui non nisi Americae australis indigena sit.

Plerisque scarabaeorum sigillis quae ex iis lapidum generibus, farda, laaspide etc. verum et ex schisto argillaceo, imo et magnete i) fabrefacta aequa ac figulina in museis visuntur, inferior s. abdominalis pars polita et passim egregio artificio incisa est. Subinde tamen inter ea quae in mumiis reperiuntur et exempla occurunt quae totum scarabaeum exprimunt, abdome nempe aequa ac dorsali parte ad ipsius animantis fabricam exsculpto. E quorum quidem numero singulare quoddam specimen coram habeo ex sapphiro veterum (quem hodie persico nomine lapidem lazuli vocant) elaboratum, e cuius thorace accipitris *mitratum* caput prominet, quo quidem connubio vtrumque solis symbolum et vtriusque sexus virtus iunctim repraesentatur, siquidem HORAPOLLINE teste k) scarabaeo non nisi masculum, accipitri contra vnicē feminineum tribuebant.

Vermium denique classis vel bigam animaduersionum etsi tenuum offert ad numos aliquot veteris Siciliae et magnae Graeciae

Aa 3

attinen-

g) ILLIGER ad Olivierii entomologiam T. I. p. 267.

h) Hieroglyphic. p. 16. ed. PAUW.

i) v. GREAVES's pyramidographia p. 67. ed. TH. BIRCH.

k) l. c. p. 16. 18.

attinentes. Evidem in Tarentinis nonnullis numis quorum alii in aduersa facie polypum s. sepiam octopodium [in qua quondam HAVERCAMPIVS — mirum dictu — Veneris callipygae symbolum reperisse sibi visus est ^{l)}], a latere visam praeclare exhibent, eandem quoque supinam, expansis octonis brachiis cum membrana quae ea iungit intermedia, repraesentari mihi videtur, quod quidem signum GOLTZIVS ^{m)}, et qui eum sequuntur minus apte pro specie asteriae s. stellae marinae habuerunt, cuius ceteroquin (vt alia taceam) specimina octonum radiorum non nisi rarissime occurrere notum est.

Grauior paullo lapsus est WINKELMANNI dum bivaluem concham in numis syracusanis obuiam pro paphia s. cytheriaca habuit ⁿ⁾ quae tamen ad longe diuersam testaceorum familiam pertineat, cochlearum nempe vniualium et quidem ex earum genere quas cypraeas s. porcellanas vocant ^{o)}.

C) BOTANOLOGICA.

Etsi antiquaria penus tenuorem messem qua plantarum naturalis historia ditari possit, promittit, ne tamen plane intactam et hanc partem dimittamus vel pauculas saltem obseruationes quae ad eam attinent subiungere liceat.

Et primae quidem ipsi quos modo tetigimus magnae Graeciae numi ansam praebeant.

Est nempe inter Reginorum numismata vnum alterumue, sed rarissime occurrens, quod in aduersa sui facie plantulam exhibit ^{p)} quae nuperis iisque doctissimis aeris veteris commentatoribus lauri ramum

^{l)} Comm. in PARUTAE Siciliam numismaticam p. 297. 348.

^{m)} Sicil. et magn. Graec. tab. 32. n. 8. cf. indicem in numism.

ⁿ⁾ Descr. des pierres gravées de Stosch p. 137.

^{o)} Teste ipso quem WINKELMANNUS l.c. adducit, LAUR. LEGATO in Museo Cospiano p. 121.

^{p)} GOLTZII M. Graecia tab. 26. fig. 3. COMBE mus. Hunterian. tab. 44. fig. 18.

ramum cum baccis repraesentare visa est, quod equidem miror, cum mihi contra haud inficianda imago semenis germinantis esse videatur; siquidem in ea cotyledones ad latera plumulae cum foliis suis seminalibus, infra vero rostellum perbene distinguere liceat. Et quanquam mirum quidem videri posset eiusmodi iconē ad physiologiam phantarum spectante numismata notata esse, liceat tamen conjecturam memorare quam super ea nota mecum communicauit cl. SCHLICHTEGROLL rei numariae peritissimus, meique amantissimus. Cum enim alias istius plague vrbes notas numarias habuisse constet quae ipsum ciuitatis nomen exprimant, vt Anconitani curuaturam cubiti, Selini folium apii, Leontini leonem, quaeri posse anne et Reginenses eodem sensu germinis fissi et prorumpentis notam elegerint ad aliquam verbi γηγνυμι similitudinem denotandam.

De aliis quibusdam plantarum earumue partium iconibus dubiis in antiquae artis operibus obuiis de quarum significatu inter autores haetenus disceptatum est, vt de foliorum genere quod in Aegyptiacis signis et gemmis toties occurrit et ab aliis perseae ab aliis loto tributum est, de filphio putatitio in numis Cyrenaicis etc. num id laserpitium denotet nec ne, nihil me habere profiteor quod animalum ad alterutram sententiam inclinet.

Verum de materieī quibusdam generibus ex regno vegetabili petitis et in antiquae artis monumentis occurrentibus pauca adhuc annotare liceat.

Fasciae quibus mumiarum Aegyptiarum, siue humanarum siue animalium corpora inuoluta sunt ab aliis iisque egregiis passim obseruatoribus pro linteis habentur *q*), ab aliis contra pro goffypinis *r*). Posteriorem hanc sententiam quod meam faciam ideo inducor quod in tanto numero vtriusque generis quae dixi medicorum funerum

q) GREAVES's pyramidogr. p. 68. GREW mus. Regal. Societ. p. 1.

r) SOLANDER et J. R. FORSTER in hui. *I. de byso antiquorum* p. 71. LARCHER ad Herodot. T. II. p. 357.

funerum quae mihi ipsi curatius indagare licuit et in magna vi speci-
minum quae de eiusmodi eorum inuolucris in supellecstile mea seruo
ne vnum quidem occurrit quod non longe probabilius pro gossypino
quam linteo habere licuerit. Prae reliquis euidenter hoc apparere
videtur in Ibidis mumia qua me nuper dum Parisiis versabar,
donauit vir aeque humanissimus ac doctissimus GEOFFROY-SAIN-
T-HILAIRE, quam quidem postquam eam Goettingam redux referato
quo vrna obfirmata erat operculo, ex ipsa exemeram tam egregie et inte-
merate conseruatam reperi ut vel singula fila quibus in his mumiis
fasciae singulari modo obducuntur, integra adhuc et irrupta extant.
Verum cum in dirimenda ea de qua agitur quaestione vtique non
tam meo iudicio confidam quam seminarum, et opificum mercato-
rumque qui linteis aut gossypinis telis fabricandis et tractandis
occupati sunt, horum arbitrio ipsa ista multifaria specimina expo-
sui, qui vero postquam examen eorum non oculis modo sed praeser-
tim digitorum exploratione instituerant, ad vnum omnes ea pro
gossypinis et nullatenus pro linteis habenda esse nude asseruerunt.

Cum vero byssina haec linea per longa annorum millaria
tanta integritate conseruata reperiantur, minus mirum idem et
sycomori ligno contigisse ex quo tam varia artis aegyptiacae veteris
monumenta supersunt, e quorum numero praeter mumiарum
sarcophagos, ipse vidi facies sculptas quas passim mumiарum
capitibus praefigebant s) subinde eximie deauratas, cuiusmodi
egregium specimen in thesauris antiquariis bibliothecae Imperialis
Parisinae extat; tum varia idola et mumiарum simulacra qualia
praesertim in museo Britannico seruantur; denique et qui huc
spectat aeneum binarum circ. spithamarum longitudinis Osridem,
non vero solidum, sed nucleo qui ipsi inhaerebat sycomorino quasi
superductum, quod quidem memorabile opus in selectissimo museo
viri quem supra iam laudaui doctissimi R. P. KNIGHT videre mihi
contigit.

Non

s) ZOEGA de orig. obeliscorum p. 261. 649.

Non minorem autem diurnae ligni integritatis admirationem merentur trabeculae cedrinae (ex Iunipero *oxycedro*) quales doctissimus lo. HAWKINS armiger Anglus marmoreis segmentis ingentium columnarum propylaei Athenarum, ad arctiorem eorum iuncturam adiuuandam interiectas vidit, et specimen earum HEYNIO nostro misit, quod iam in museo academico seruatur, et post bina annorum millia adhuc adeo crudum et integerrimum appetet ac si modo ex recenti arboris trunco exsectum esset.

Verum iam denique et

D) MINERALOGICA

quaedam tangere liceat, quibus antiquaria supellex quod iam supra memorauimus vel ideo vberem materiem suppeditat quod variae lapidum species aut varietates hactenus vnice ex priscae artis operibus innotuerint. Quare et nuperis tam in archaeologico *t)* quam in naturalis historiae studio auctoribus *u)* ipsa haec lapidum genera *antiquorum* nomine appellantur, quorum natalis locus aut plane ignotus sit, aut quae saltem hodie non amplius ex prisca lapicidinis eruerentur. Verum cum haec definitio tum arctis nimis limitibus circumscripta tum vero et minus certa videatur, si quidem de eo saltem agitur num *vc.* hocce illudue marmoris a prisca artificibus adhibiti genus hodienum adhuc caedatur nec ne, satius duxerim omnia ea lapidum genera antiquorum nomine comprehendere, quae a quaternorum aut quinorum veterum populorum, Aegyptiorum nempe et Indorum, tum Graecorum et Etruscorum, denique vero Romanorum architectis, statuariis et scalptoribus ad nobiliora artium suarum monumenta abhilita sunt. Situe quod adhuc caedantur ut Lunense marmor, situe quod derelicta hodie iaceant ut Parium *x)*, (prae omnibus reliquis lapidum generibus, si nempe ex summis artis statuariae graecanicae operibus exinde scalptis aestu-

mes,

t) v. c. PETIT RADEL in *Monumens antiques du musée Napoléon* T. II. p. 15.

u) CRONSTEDT, BUFFON al.

x) TOURNEFORT, *voyage* T. I. p. 239. ed. in 8.

Comment. Phys. T. XVI.

mes, longe nobilissimum) situe denique quod nativa earum strata nunc plane ignorentur, quod vc. de pulcherrimo marmore rubro (ital. *rosso antico*) afferitur *y*), et si hoc ipsum vtique aegyptiacum esse, vel exin opinari liceat, quod rude eius specimen ad manus habeam a NIEBUHRO haud procul ab Alexandria lectum.

Indica quorum supra iam memini summae antiquitatis monumenta ex ipso saxo templorum subterraneorum insulae *Elephantae* stupendo artificio excisa, quotquot eorum mihi videre licuit ex uno eodemque lapidis genere constabant (Angl. *Elphanta-Rock*) cui simile mihi alias occurrisse nullum memini; cumque desideratissimo TOWNLEY specimen eius acceptum referam, operae pretium erit aliqualem eius descriptionem oryctognosticam hic subiungere.

Saxum hoc ad petras heterogeneas vt a mineralogis vocantur, et quidem proxime ad porphyritem argillaceum pertinere adeo primo intuitu patet, vt ego quidem nullus plane capiam qui unquam pro basalte haberi potuerit *z*) a quo quantopere differat ex sequentibus per se patebit.

Basis mafiae argilla indurata ferruginea.

Immixta huic terna fossillum genera, sed inaequali quantitatis portione. Plurimum nempe Feldspathi, parum Quarzi vulgaris, minimum Hornblendae nigrae.

Raro denique hinc illinc minerae ferri magneticae granula quasi inspersa reperi.

Color baseos et Feldspathi ex flavo luteus qui vero humectato falso in magis obscurum brunneum transit.

Fractura inaequalis, saltem in Feldspathi et Quarzi granis diffractis aliquantum splendens.

Grauitas specifica = 2367.

Durities summa, ita vt TOWNLEIUS mihi scripserit, perdifficile fuisse lapidae quem arcessi iussicerat frustum quod mihi misit serra desecare *a*).

Denique

y) PETIT RADEL I. c.

z) MONBODDO, *antient Metaphysics*, T. III. p. 83.

a) Cf. *Archaeologia* T. VII. p. 336. et 299. T. VIII. p. 258.

Denique non nisi mediocrem polituram admittit.

Etsi vero ab omnibus quae ego quidem noui porphyritis generibus luculenter differat, proprius tamen abesse videtur a faxe metallifero BORNII s. faxo griseo Hungarico.

Vti hoc lapidis genus quantum ego quidem noui hactenus nondum plane descriptum erat, ita alia•bina vulgo quidem cognita attamen ab auctoribus misere confusa vidimus; et quidem alterum eorum basaltem inquam, ab archaeologis, alterum vero plasma nempe smaragdinum ab ipsis mineralogis.

Mirum sane quam multifaria et a se inuicem diuersissima fossilia dummodo aut nigra aut ex viridi obscure nigrantia fuerint, antiquarii inuicem comprehendere solebant; siquidem et silicem schistosum, schistum argillaceum basanitem s. coticularem (ital. *Pietra paragone*), nephritem Aegyptium (ital. *Pietra d'Egitto*), lapidem ollarem, quid quod et marmor nigrum (ital. *Nero antico*) probasalte passim venditum esse norim.

Verum et ea artis antiquae aegyptiacae opera quae uno antiquiorum ore ex genuino basalte fabricata dicuntur itidem non vnius generis sunt, in quorum equidem numero ex speciminiibus quae ab ipsis eiusmodi operibus defecta praesertim ab Eminentissimo Cardinale BORGIA et Dre. GARTSHORE medico Londonensi felicissimo ex museis suis accepi, sequentes ad minimum varietates distinguere licet.

Niger, texturae homogeneae, densus, durus ita ut vitrum leuiter incidat et tolerabilem polituram admittat.

Niger, Feldspathi granulis basalticae massae interspersis; adeoque ad Porphyriten basaltinum referendus.

Ex griseo viridis, in cuius recenti fractura intima commixtio Hornblendae viridis cum Feldspatho microscopii saltem ope dignoscenda est. Ad petram amphibolicam (germ. *Grünstein*) pertinens.

Similis mixtura Hornblendae nigrae maioribus particulis aliis Feldspathi vulgaris albi ita iunctae, ut oculo nudo probissime distingui queant.

Dénique et eidem connubio additum Quarzum vulgare qua quidem compositione haec varietas, omnium durissima, proxime ad Pseudogranitum accedit.

Quod vero *plasma b)* smaragdinum (ital. *plasma di smaraldo gemmario*) attinet mirum sane quantopere auctores mineralogi in definitione eius errauerint, aliis quippe id ipsum pro Quarzo viridi habentibus, aliis pro nephrite aut Schörlo spathoso imo et pro Spatho fluore. Neque maiori iure id ipsum in Baruthino pinifero monte, aut in Morauia et Hungaria reperiri asseruerunt, siquidem specimina ex iis locis mihi visa quae pro eo venditantur, longe a genuino plasmate differunt quod nunquam alias quam forma geinmarum anti-quarum, parui tantum moduli, et oualis figurae vtrinque conuexarum et quantum noui vnicce a Romanis sculptoribus incisarum mihi occurrit. Vnde vero id habuerint hactenus latet; ex Aethiopia forte venisse praeter HELIODORI locum mox citandum, vel ex eo conjector saltem, quod in thesauro archaeologico bibliothecae Imperialis Parisinae signum rarissimum Osridis, pedis circ. cum dimidio longitudine vidi *c)* ex praeduro lapidis genere, viridis in vniuersum sed diuersimode variegati coloris, hinc illinc plus minus pellucidi, cui vero passim inerant particulae plasmati de quo agimus satis similes, tantaeque magnitudinis ut commode eiusmodi gemmae exin scindi potuerint.

Ipsa vero plasmata vti non omnibus neque perspicuitas eadem nec idem floridus color, ita passim inter ea occurunt specimina tam eximii vigoris et pelluciditatis ut primo intuitu vix a smaragdis distingui possint.

De ipso autem genuino et vero smaragdo, quem nempe hodierni mineralogi et negotiatores gemmarii ita vocant, num vnuquam in orbe veteri adhuc repertus fuerit, post tot doctorum virorum de ea

b) LESSING, *Briefe antiquarischen Inhalts T. I.* p. 190.

c) Cf. WINKELMANN, *Anmerkungen zu der Geschichte der Kunst* p. 18.

ea re disceptationes d) valde adhuc dubito e), et plasmatis nobiliora genera eius nomine venisse praeter alia memorabili loco in HELIODORI *aethiopicis* adducor ubi Sisimithres Charicli cum aliis gemmis et mundo muliebri simul cum Chariclea quondam in Aethiopia exposita etiam smaragdos tradit, veluti verna seges virentes, quadam lubricitate tanquam olei resplendente f), quod quidem plasmati magis quam reliquis pretiosioribus viridis coloris gemmis in veteri orbe reperiundis, conuenire videtur.

Tantum vero abest ut omnes gemmas antiquas quae smaragdi vocantur unice pro plasmate habeam cum et ipse non vnam earum viderim quae et ab hoc differre videbatur. Refero huc praesertim monile eximum musei Townleiani quod gemmis viridibus constabat auro inuicem iunctis, iisque in hexagonam prismaticam formam politis quae quidem forma praeter floridum colorem eas smaragdis satis similes reddebat. Alterum specimen Cl. MILLIN mihi in collectione saepius iam laudata bibliothecae Imperialis monstravit g). Gemma est quadrangula aegyptiaca cuius vni lateri figura oculi incisa est, alteri characteres sic dictae basilidianae. Haec quidem vniuerso habitu proxime ad veros smaragdos accedere videbatur, interim tamen addere oportet me ab eo inde tempore

Bb 3

a mer-

d) Cf. praeter alios S. F. RAU *Specimen libri ACHMEDIS EIFASCHII de gemmis et lapidibus pretiosis* p. 96. JABLONSKII *opusc. ex ed. TE WATER* T. I. p. 313. 468. C. DE VELTHEIM, *Auf ätze* T. II. p. 45. 119. 131. MILLIN, *introduit. à l'étude des pierres gravées* p. 18. ed. 2. Id. in *Magasin encyclopédique* ann. I. T. III. p. 348. BECKMANN ad Marbodium p. 25. 26. LARCHER ad Herodot. T. II. p. 250. CHR. AUG. SCHWARZE *de smaragdo veterum Gorlic.* 1802. fol.

e) Saepius in sacrariis et museis tegumenta missalium aut librorum euangeliorum auro obducta et gemmis distincta vidi, e quibus floride virides pro smaragdis venditabantur. In omnibus autem quotquot eorum mihi curatius indagare licuit, semper haec viridia ornamenta non nisi ex *vitro* pulcherrimo constare comperi, isti fere comparando ex quo celebris patra Genuensis constat quae iam inter cimelia bibliothecae Imperialis Parisiinae asseruatur; cum contra reliquias istorum voluminum ornatus passim et veros lapides pretiosos, sapphiros (s. hyacinthos veterum) beryllos, amethystos etc. contineret.

f) HELIODORI *aethiopica* p. 117. ed. Commelin.

g) MILLIN in *Magas. encyclopéd.* ann. I. T. VI. p. 71.

a mercatore rerum fossilium specimen accepisse Feldspathi pellucidi et coloris smaragdini, isti gemmae simillimum, quod ut ille asserebat cum aliquot aliis eiusdem generis in smaragdorum Americae australis copia ad eum peruererat. Cumque et Feldspathum viride a priscis aegyptiis artificibus incisum fuerit, quod Cl. WAD h) memorat, vltro inquirendum num forte et huic de quo agimus simile inter gemmas veteres aegyptias aliquando reperiatur.

Denique in fine commentationis et hoc addere liceat, nondum quantum noui antea annotatum, veteres aegyptios artifices etiam recreemento rubro aeris purioris (germ. *Kupfer-Garschackle*) ad sigilla fingenda usos fuisse, quorum quidem plura specimina, oculi vc. imaginem de qua supra disputauimus, nilometra aliaque ad manus habeo, cum multifariis aliis, basaltinis, lazulinis ect. in medicatis cadaueribus reperta.

h) *Fossilia Aegyptiaca musei Borgiani* p. 21. 22.

FIGVRARVM EXPLICATIO.

TAB. I.

- Fig. 1. Hippopotami sigillum figlinum, cuius vero rostrum valde resumum minus bene expressit chalcographus.
longum $4\frac{1}{2}$ lin.
v. pag. 5.
- Fig. 2. Phalli vulgo sic dicti oculati signum itidem figulinum, vt tres proxime sequentes, archetypi magnitudine.
v. pag. 18.
- Fig. 3. Tetradrachma Atheniensis.
v. pag. 11. 20.
- Fig. 4. Pueri infibulandi signum votuum aeneum.
v. pag. 16.
- Fig. 5. Hypospadiae simile signum argenteum.
v. pag. 15.
- Fig. 6. Rhinocerotis bicornis imago aenea.
longa 3 pollic. 3 lin.
v. pag. 18.

TAB. II.

- Vasculum etruscum pictura graecanica.
altum 7 pollic.
v. pag. 15.

© SUB GÖTTINGEN / GDZ | 2011



QPCARD 2011

